



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Eisdem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-20020**

E I S D E M.

**I** Vstis petentium desiderii &c. *ut in alia usque* vestris justis precibus inclinati, casale quod dicitur Pasalan cum suis pertinentiis à nobili viro Guillelmo de Resi vobis pia devotione concessum, & à Goffrido de Villa-Arduni postea confirmatum, sicut illud justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. nostræ confirmationis &c. *usque* incursum. Datum Laterani xiv. Kal. Octobris, anno tertio decimo.

E I S D E M.

**I** Vstis petentium desiderii &c. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris justis postulationibus inclinati, casale quod Paliopolin dicitur cum suis pertinentiis à nobili viro Hugone de Bezenon vobis pia devotione concessum, & à Goffrido de Villa-Arduni postmodum scripto authentico confirmatum, sicut illud justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus & presentis scripti patrocinio communimus. Nulli ergo &c. *usque* incursum. Datum ut in alia per totum.

E I S D E M.

**I** Vstis petentium desiderii &c. *ut in alia usque* vestris justis precibus inclinati, casale quod dicitur Lassultan cum pertinentiis suis à bonæ memoriæ Guillelmo Campaniensi pia vobis devotione concessum, sicut illud justè ac pacificè possidetis, vobis & per vos domui vestræ auctoritate apostolica confirmamus. Nulli ergo &c. *usque* incursum. Datum Laterani xiv. Kal. Octobris, pontificatus nostri anno tertio decimo.

FERMOPILENSI EPISCOPO,  
& electo Cirenfi, & Priori sancti  
Demetrii Thessalonicensis.

**D**ilectorum filiorum fratrum militiæ Templi in Romania recepimus questionem quòd Episcopus Citoniensis in quendam Capellanum eorum, pro eo quòd ad porrigendum viaticum cuidam confratri eorum accesserat, manus iniiciens, calicem cum eucharistia ei abstulit violenter, & ipsam turpiter ac inhonestè tractatum in fovea quadam incluse in clericali opprobrium honestatis, præterea cuidam eorum famulo posito in extremis in ipsorum

Tom. II.

injuriam denegari fecerit ecclesiastica sacramenta; unde absque penitentia & viatico diem clausit extremum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus partibus convocatis, & inquisita super præmissis & cognita plenius veritate, quod canonicum fuerit appellatione postposita statuatis, facientes quod statueritis per censuram ecclesiasticam firmiter observari. Nullis litteris veritati & justitiæ præjudicantibus à sede apostolica impetratis. Quòd si non omnes &c. tu, frater Episcopo, cum eorum &c. Datum ut in alia.

LARISSENO ET NEOPATRENSI  
Archiepiscopis, & electo Cirenfi.

**I**nter ceteros religiosos viros, quos quemlibet convenit divinæ retributionis intuitu honorare, dilecti filij fratres militiæ templi tanto debent speciali gratia confoveri quanto majoribus laboribus se exponunt pro servitio Iesu Christi, ac favorem apostolicum meruisse plenius dinoscuntur. Verum dilecta in Christo filia nobilis mulier relicta claræ memoriæ Marchionis Montisferrati, sicut ex ipsorum gravi conquestione didicimus, eos super possessionibus & rebus aliis à claræ memoriæ viro suo de ipsius conniventia & consensu ipsis pia devotione concessis multipliciter aggravat & molestat. Vnde nos eidem nobili per scripta nostra mandamus ut ob reverentiam apostolicæ sedis & nostram ab eorundem fratrum super præmissis indebita molestatione desistat. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictam nobilem ad id, monitione præmissa, distractione qua convenit, appellatione remota cogatis. Quòd si non omnes &c. duo vestrum &c. Datum ut in aliis per totum.

*Scriptum est eidem nobili mulieri super hoc.*

DAVALIENSI ET ZARATORIENSI  
Episcopis, & electo Nazoretensi.

**S**vam ad nos dilecti filij fratres militiæ Templi querimoniam transmissere quòd nobilis vir Ra. dominus insulæ Nigripontis quasdam possessiones à Iacobo quondam domino de Avenis pietatis intuitu concessas eidem in animæ suæ dispendium detinere præsumit. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta mandamus quatenus dictum nobilem ut easdem possessiones sine qualibet difficultate fratribus memoratis assignet monere prudenter & efficaciter inducere procure-

Ppp

Epist. 151.  
Pro iisdem adversus Marchionem Montisferrati.

Epist. 153.  
Pro iisdem adversus dominum Nigram Nigripontis.